



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1746. usque ad
Annum 1749

Luxemburgi, 1753

XXIII. Indulgentiæ tam doctibus, & addiscentibus Methodum Orationis
mentalis, quàm ipsam Orationem mentalem peragentibus concessæ. 16.
Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74761](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74761)

Decreta
Pontif.

que necessarium major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis cum clausula perpetua, & ad perpetuam rei memoriam separatum, & quoad Prælaturas præfatas per Breve Nostrium, seu Officium minoris gratiæ etiam separatim expediendas. Volumus autem, ac statuimus, & ordinamus, quod respectivè Clerus, & Populus, aliique Incolæ, & Habitatores sub Prælaturis Gojasienfi, & Cujabaenfi præfentes erectis hujusmodi comprehensi in his, quæ sunt Ordinis ad præfatum Archiepiscopum Sancti Salvatoris, habitis tamen a suis respectivè Prælatibus Gojasienfi, & Cujabaenfi hujusmodi ad id literis dimissorialibus, recurrere teneantur: Quodque Prælati Gojasienfis, & Cujabaenfi præfati ratione personarum suarum dumtaxat visitationi, correctioni, & superioriati, ac jurisdictioni præfati Archiepiscopi Sancti Salvatoris pro tempore existentis subsint, & a sententiis definitivis tantum, seu vim definitivarum habentibus, & quarum gravamen per appellationem a definitivâ reparari nequeat nequeat per ipsos Prælatos, aut eorum Officiales, pro tempore latis, appellationes ad eundem Archiepiscopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causas per eum cognosci, decidi, & sine debito, prout juris fuerit, terminari possint. Præterea etiam volumus, quod taxa præfata Ecclesiæ Fluminis Januarii, quæ in libris Camera nostræ Apostolicæ in florenis centum sexdecim cum duobus tertiis descripta existit, fixa, & firma remaneat; quodque taxa tam Ecclesiæ Sancti Pauli, quam Ecclesiæ Mariannensis erectarum hujusmodi unaqueque in similibus florenis centum sexdecim cum duobus tertiis in eisdem libris describatur.

Fiat P.

Dat. Pont.
An. VI. die
6. Decem-
bris 1746.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majori VIII. Idus Decembris Anno Sexto.

XXIII.

Indulgentiæ tam docentibus, & addiscentibus Methodum Orationis mentalis, quam ipsam Orationem mentalem peragentibus concessæ.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, & Præsulibus locorum Ordinariis universis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium
ab Excellen-
tia Orationis.

QUEMADMODUM nihil est hominibus a familiari Dei consortio, & consuetudine avulsis, & ejectis, ad divinos hauriendos fulgores, ad æternam salutem procurandam, & ad Deum quasi manu facta coeundum, magis opportunum, salutare, ac necessarium Oratione, quæ est veluti ascensio animæ de terrestribus ad celestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium, conjunctio Spiritui Sancto, & ad Deum locutio, ita, ne desolatione desoleatur universa terra ex eo, quod nullus recogitet corde, omnes & singuli ubique, & semper salutaribus præceptis monendi sunt, quod oporteat semper orare, & nunquam deficere: ut in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitionibus nostris innotescentibus apud Deum, ipse, qui dives est in omnes eum invocantes, nec nostras abs se deprecationes, nec suas a Nobis amoveat miserationes. Eapropter Prædecessores nostri Romani Pontifices divina institutione formati, ut Christiani fideles ad orationis, sive Vocalis, sive Men-

talis, ut dicitur, illa sit, studium cum alacritate ineundum, & sine intermissione frequentandum incitarent, eosdem tum cohortationibus inflammare, tum celestium etiam munerum thesauris, quorum dispensationem ipsis crederat Altissimus, allicere studuerunt. Indulgentias enim, peccatorum remissiones, & de injunctis eis quomodolibet debitis penitentis relaxationes elargiti sunt iis, qui sive vocales preces recitarent, sive per aliquod temporis spatium quotidie in lege Domini meditentur. Nos autem laudatissimis eorumdem Prædecessorum Nostrorum exemplis incensi, non solum omnes & singulas indulgentias, peccatorum remissiones, & penitentiarum relaxationes per eosdem Nostros Prædecessores pro recitantibus quascumque vocales preces (dummodo nunquam revocata fuerint) aut quomodolibet orantibus, quocumque modo sive ad tempus, sive in perpetuum ad hanc usque diem concessas, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, sub iisdem prorsus modo, ac forma confirmamus, & quatenus opus sit, de novo concedimus; verum etiam alias insuper iis præsertim, qui mentalis orationis, seu meditationis studio operam dederint, ut infra, impertimur. Primum itaque omnibus & singulis, sive qui tam in Ecclesiis, quam alibi, & ubicumque locorum publicè, & privatè quoscumque homines orandi, seu meditandi rudes quomodocumque orare, & meditari docuerint, sive qui piæ orandi, & meditandi institutioni hujusmodi, ut præmittitur, interfuerint, dummodo vere penitentes, ac Sacra Communione refecti, qua vice id egerint, septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis penitentis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Iis vero tam docentibus, quam addiscentibus, qui assidue præmissa peregerint, ac similiter vere penitentes, ac Sacra Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione piæ ad Deum preces effuderint, semel in mense pro uniuscujusque commodo, & arbitrio, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam per modum suffragii animabus Christianifidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Insuper iis, qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem, orationi mentali dabunt operam, & vere penitentes, & confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione piæ ad Deum preces pariter effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam itidem per modum suffragii animabus Christianifidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, auctoritate & tenore similibus misericorditer in Domino elargimur. Et si autem, juxta divinum Domini Nostri Jesu Christi præceptum, oportet ut quisquis oraturus, ne ad instar Hypocritarum videatur ab hominibus, intret cubiculum suum, & clauso ostio oret Celestem Patrem in abscondito: tamen, cum ipse Dominus dixerit, quod ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, & Sanctus Joannes Chrysostomus prædicet, esse in oratione cum fratribus plus aliquid, videlicet concordiam, conspirationem, amoris conjunctionem, & caritatis clamorem felici societate, ex qua orationes infirmiores se simul complexas, validiores in Cælum evahi: optimum esset, ubi commode fieri posset, ut, quemadmodum

Pontifex
confirmat
Indulgentias
concessas vo-
caliter oran-
tibus.

Iis vero, qui
Orationis
Mentalis ex-
ercitium do-
cent, conce-
dit novas In-
dulgentias.

Illam quo-
que pera-
gentibus a-
lias elargitur
Indulgen-
tias.

Adhærentio
pro exercitio
Orationis in
communi.

in nonnullis institutum esse accepimus, ita in omnibus & singulis Diocesis in more poneretur; nimirum, ut singulis diebus dato certo Campanarum signo, sive in Ecclesiis, dummodo totius populi multitudo unum in locum, ubi oret, masculis a feminis seorsim collocatis, convenire facile possit, & nulla suboriatur confusio & inordinatio, sive in propria Domo Patresfamilias eo, aut alio opportuniore tempore, ante Imaginem Sacram cum tota Familia convenientes orent. Eapropter Vos, Venerabiles Fratres, rogamus, & in Domino hortamur, ut omnibus & singulis Ecclesiarum, piorumque locorum, in Civitatibus quidem Cathedralis, aliarumque præcipuarum Ecclesiarum, in Oppidis vero Parochialium Ecclesiarum Superioribus, ac Rectoribus injungatis, ut, præmissis Campanæ sonitus diebus, iisque horis, quibus Vobis opportunus in Domino visum fuerit, dando decernendoque, omnes Christiani fideles uniuscujusque cura commissos, quos in unum convenire contigerit, in mentalis orationis studio erudire, sive per alios peritos erudiri faciant, atque ad illam frequentandam accedere, necessitatem utilitatemque proponere, Indulgentiarum thesauros, quos de benignitate Apostolica largimur, explicare, & ad ipsos ea, qua decet, pietate, ac reverentia lucrandos inflammare studeant, & enitentur; atque etiam, si commode, ut præmittitur, fieri poterit, orationi mentali in communi practica, ut dicitur, vacare, in eaque exerceri faciant, & curent. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Voluimus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Persona in Dignitate Ecclesiastica constituta munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Interim Apostolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impartimur.

Dat. Pontif. anno VII. die 16. Decembris 1746.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majori sub Anno Piscatoris die xvi. Decembris MDCCXLVI. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Cajetanus Amatus.

XXIV.

Super Congregationibus Generalibus Clericorum Regularium Societatis Jesu.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

DEVOTAM majori Dei gloriæ promovendam, adjuvandamque proximorum salutem Societatem, a Sancto Ignatio Confessore sub Salvatore Nostri JESU nomine auspicioque constitutam, sicuti Ecclesiæ Dei utilissimam operam assidue navare, ita ex præscripto sapientissimarum Legum, & Constitutionum ab eodem Beato Institutore ipsi traditarum, a duobus & ultra sæculis feliciter rectissimeque gubernari, compertum habemus. Quapropter libenti animo adducimur, ut, & universæ hujusmodi Societatis commodis, atque utilitatibus amplificandis, & prædictarum Legum, & Constitutionum observantiæ asserendæ, sive in pristinum vigorem revocandæ, Apostolicæ auctoritatis Nostre providentiâ consulamus.

Innocentius X. decrevit Congregationem generalem in

Dudum siquidem felicitis recordationis Prædecessor Noster Innocentius Papa X. per quasdam suas in forma Brevis Literas datas apud Sanctum Petrum die 1. Januarii Anno Domini

MDCXLVI. Pontificatus sui II., quarum initium est; Prospero felicique statui, decrevit, ac perpetuò mandavit, Congregationem generalem in prædicta Societate Jesu singulo quoque novennio, computando semper a celebratione ultimæ Congregationis generalis, haberi, & celebrari omnino debere; ita quod illius celebratio nullo modo, nec ex quavis causa, sive per Præpositum Generalem pro tempore existentem, sive per quancumque Congregationem particularem, vel generalem, impediri, vel ultra novennium hujusmodi differri, seu prorogari possit: Præterea, ut quiescumque haberetur, & celebraretur Congregatio generalis hujusmodi, toties novi Assistentes, ab illis plane diversi, qui præcedente novennio Assistentium hujusmodi muneribus functi fuissent, eligi, seu assumi, & deputari deberent: Ac demum, ut omnes, & singuli ejusdem Societatis Provinciales, Visitatores, Præpositi, Rectores, Superiores Locales, & alii Officiales jurisdictionem, seu superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, exceptis Magistris Novitiorum, in eorum respectivè muneribus, ministeriis, administrationibus, & Officiis prædictis quomodocumque nuncupatis, per triennium dumtaxat durare deberent; eaque, elapso triennio hujusmodi, eo ipso vacarent, & vacare censerentur: Ipsique ad alia quævis ejusdem Societatis munera, superioritates, ministeria, administrationes, & officia prædicta, quomodolibet nuncupata, etiam Vice-Provinciales, seu Vice-Præpositi, vel Vice-Rectores, nullatenus eligi, seu assumi, vel deputari valerent; nisi per annum cum dimidio saltem, a fine dicti triennii computando, a prædictis muneribus, superioritatibus, ministeriis, administrationibus, & officiis cessassent: quemadmodum in præcæditis Innocentii Prædecessoris Literis latius disponitur, & continetur.

Cum autem nova hæc methodus tam in generali totius Societatis gubernio, quam in peculiarium munerum, & officiorum administratione, vigore hujusmodi Literarum, inducta, neque Constitutionibus ipsius Societatis a Sancto Ignatio Fundatore prædicto conditis, & a Romanis Pontificibus Paulo III., Julio III., Gregorio XIII., Gregorio XIV., & Paulo V. Prædecessoribus pariter Nostri approbatis, & confirmatis, consona dignoscatur; neque verò in praxi utiliter observari posse judicaretur: Ex Decreto Congregationis Generalis ejusdem Societatis, quæ Anno Domini MDCLXI. habita fuit, delata res est ad piæ memoriæ Prædecessorem pariter Nostri Alexandrum Papam VII., eique humiliter supplicatum fuit pro relata Innocentianæ Constitutionis abrogatione.

Cumque idem Alexander, pro eo quod attinet ad triennalem Superiorum Localium, & Provincialium durationem, præscriptamque, post exacta respectivè triennia, ab Officiis hujusmodi cessationem, non modo contrarium prædictorum Legum, & Constitutionum tenorem optime perspectum haberet; sed etiam experientia edoctus complurium, & gravium incommodorum, quæ ex præfati Innocentianæ Brevis observantia eidem Societati jam obveniant, ab aliquibus retro annis ejusdem Brevis executionem suspendisset; & quidem per hujusmodi suspensiones pluribus gravibusque periculis, & inconvenientibus occursum esse, magnasque, & multiplices dictæ Societati utilitates obvenisse dignosceret: Haud agrè adductus fuit, ut hujusmodi Innocentii Prædecessoris statutum, & ordinationem de trienniali Superiorum, & Officialium prædictorum duratione, & de cessatione unius anni cum dimidio a quocumque hujusmodi superioritatum, & officiorum exercitio, postquam aliquod ex ipsis per triennium quis obtinisset, ipsasque relatas ejusdem Innocentii Literas,

Societate Jesu singulis novenniis celebrari.

Et quod in ea novi Assistentes deputarentur.

Quodque cetera Officia per triennium tantum durarent. Nec quis post dimissum Officium ad aliquid ante Annum cum dimidio assumi possit.

Congregatio Generalis Societatis Anno 1601, recurrit ad Alexandrum VII. pro præmissorum abrogatione.

Alexander VII. Breve Innocentii quoad triennalem Officiorum durationem, nec non cessationem ab Officiis exacto triennio, tantum revocavit.

quate-